

Politowicz Ioan. Dionysii: Rosa victurae gloriae Alexandri Głębocki;

ROSA
VICTVRÆ GLORIAE

Perillustris ac Reuerendissimi Domini,

D. ALEXANDRI GLĘMBOCKI,

DECANI POSNANIEN: PŁOCEN:

LOVICIENSIS CANONICI,

S. R. M. Secretarij.

Nuper Scholastici, recentèr in hoc verni temporis ingressu Archidiaconi Gnesnensis, de vnius dignitatis horto; in alterius dignitatis hortum, Per Eminentissimum ac Reuerendissimum Dominum, D. IOANNEM LIPSKI, *Archiepiscopum Gnesnensem, Legatum Natum, PPP. & Amplissimum Capitulum Gnesneń: meritò*

TRANSPORTATA.

& A

IOANNE DIONYSIO POLITOWICZ Philosophiæ Doctore, Academicæ Coloniæ ad Ædes Almæ Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesnen: PRÆFECTO, honoris ac debitæ obseruantiæ ergò

O B L A T A.

POSNANIÆ. In Officina Alberti Reguli Anno Dñi. 1641.

IN STEMMA
ANTIQVISSIMÆ DOMVS GLĘMBOCIANÆ.





Ceu Rosa fragrantem nitidissima spirat odorem,
Hortorum flores inter odoriferos:
Glęmbociana Domus summis virtutibus aucta,
Climata per mundi, sic redolebit ouans.

IOANNES PIGLOWSKI,
Academicæ Coloniæ ad Ædes Almæ Ecclesiæ
Metropolitanæ Gnesnensis Studiosus.



NEminem mortalium existimo PERILLVSTRIS ac REVERENDISSIME DOMINE, aliquô inurbanitatis scelere intaminatum repertum iri; qui Tibi amplissimos in Ecclesia Dei, accensis animis, repetitis desiderijs, geminatis ardentissimis vocibus, non precaretur honores. Promeruit enim illos, probitas & integritas spectata, heroica virtus in nullius se vertens inuidiam; quæ in angusto loco quiescere nescit, nec tenebricosô intercludi nouit angulô; sed in latissimum totis viribus egreditur campum: vt Ecclesiam & Patriam dulcissimam impleat meritorum odore, & occupet honorum splendore. Non potest Tibi non precari PERILLVSTRIS ac REVERENDISSIME DOMINE amplissimū Collegium Gnesnense, Posnaniense, Plocense, Louiciense, & illud Regni SS. Tribunal; cúm, benignô cælô, & fauentissimô clarissimorum Confratrum calculô, in altiori loco collocatam, aduertit Rosam, cuius venustas est virtutum decor & ornatus, & viua rerum à Te præclarè gestarum pulchritudo. Proinde post tot tantorumquè Virorum amplissimorū fauentissimas & lætissimas Tibi PERILLVSTRIS ac REVERENDISSIME DOMINE priuatìm & puplicè factas apprecationes, vltimum agmen expediunt Charites Nostræ Tuo olim patrocinio dicatæ. Mirabere fortasse tàm segnes illas Tuæ occurrere virtuti,

proce-

procedere obuiam gloriæ, quæ primæ linguam orationi, mentem venarationi explicare debuerant. Verùm magnos, faciles & promptos esse decuit, paruis autem non licuit esse tàm disertos, potissimùm verò colentibus Musas inferiores; vt primæ, in amplissimi assecuti honoris Tanti Prælati arduis Ecclesiæ & Republicæ districti negotijs, comparerent conspectum, & cùm tædioso verborũ apparatu, ad admiranda virtutũ simulachra, Tua penetralia ingrederẽtur. Sufficiet illis debitum, non tàm balbutienti calamo, quàm deuotissimâ animi interni significatione declarare officium; quod à bulbutientibus filiolis libentèr pater excipit, etiamsi quid rude & absonum pro suo amore contulerint. Quare talem Te etiam Patrem & Patronum præstes, qualem Te naturæ bonitas, plenum sapientiæ, grauitatis, probitatis, cuius constans apud omnes frequentat opinio, denotat. Procul abest à Te ambitio, neminem turbat iucundus aspectus Tuus, deserit Te omnis Stoico supercilio expressus eloquentiæ fastus; quam nos Tibi in hoc altioris honoris ascensu, fauore & beneuolentiâ Tuâ suffulti, consecrandam & dedicandam esse censuimus: vt in illa non tàm Orationis nitorem, quàm mentis obsequentis candorem, considerare velis. Quod si in hoc conatu eius, non sufficientissimè expressas virtutum Tuarum repereris imagines; scies tamen inter inutiles herbas Rosas esse fragrantiores, & olere suauiùs, & rubere amæniùs, & florere feliciùs. Vt nocturnô tempore faculæ

culæ accenſæ è longinquo magìs diffundunt flammam, ſuam, & tenebras diſpellunt, cominùs autem anguſtam, lucem largiuntur: ſic & Muſæ Noſtræ in recenſendis virtutibus Tuis largas ſe animo & affectu præſtabunt, ſi non poterunt eruditionis effectu. Non excurram in præſens in campũ latè patentem, ad recenſenda ampliſſimæ & vetuſtiſſimæ Familiæ magnis virtutum ſplendoribus conſpicua Natalia: quorum ſunt pleni annalium libri, plenæ hominum nobilium voces; illa accepiſſe ſuum initium, ab Italo Vrſino in Poloniam ob metum Neronis Chriſtianos perſequentis, commigrante. Venerabor ſilentio priſcæ virtutis Atauos, Abauos, Tritauosq; Tuos ſanctiſſimos, glorioſiſſima ex Lituanis, Ruſſis, Iazuingis ſub Leſco Nigro in Regiones Noſtras crebras incurſiones facientibus reportantes, trophęa. Miſſas faciam, Regali prorſus animo bellicoſoq; apparatu, poſtpoſitò vitæ periculò expeditiones, hoſtium deuictorum numerum, Arcis Liu forti manu defenſionẽ, & militum noſtrorum ab hoſtili exercitu obſeſſorum victoriæ triumphum. At excellentiſſimam naturæ Tuæ indolem, & ingenium, præſtantiſſimum, quantùm imbecillitas ingenij mei ſuggerere poterit, præterire nullo modo poſſum: quod luculenter reſplendere, in lucem publicam atq; admirationem hominum ſeſe inferre manifeſtiſſimè videtur. Pulchrum ſpectaculum generoſæ indolis effulſit, cum in Altricem bonorum ingeniorũ Academiam miſſus fuiſſes: vt in illum tenellum animum bonis artibus adhuc deſti-

tutum, instillares largissimos sapientiæ & prudentiæ riuulos, morum integritatem; atquè solidam à pijs & intergerrimis imbiberes virtutum omnium imitationem. Nihil enim magìs inhęrere mentibus humanis ad consequendam preciosissimam honestatis imaginem putasti: atq; probatissimorum virorum vsum & consuetudinem: quos ita colebas & obseruabas, vt in ætate iuuenili, quæ ceu velox cymba, magno æstu adhuc & feruore sanguinis fluctuat, omnes Syrenes & Lythophagos, omnium cupiditatum remoras, Scyllas & Charybdes, omnium affectionum prauarum rudentes, superares. Persuasum habuisti quos modos cantio Syrenum ad fallendum, decipiendum, irretiendum, tradat; vt in cæcum aliquem calamitatis scopulum gurgitemq; incautum deducat: quos autem elijciat puritas, & grauitate morum temperata probitas, & ardentissima erga DEVM charitas. Nihil aliud cogitasti, quàm sine strepitu ac ostentatione actiones honestas DEO consecrare, illiq; purâ mēte seruire, declarato vbiq; locorū modestiæ argumēto, à recto mediocritatis tramite, ne transuersum quidem vnguem recessisti, nec abijsti. Postpositis enim rebus inanibus ac leuissimis, omnem curam ac diligentiam ad animi ornamenta capessenda, contulisti; vt honestatis ac gloriæ poneres ante oculos dignitatem; non popularem duntaxat auram aucupandi amplexus; quàm præcepta viuendi secutus es. Ad ædes olìm Eleusynæ consecratas, nemini virorū improbi animi, praui consilij patebat aditus, nisi qui præclarâ or-

natus

natus vitâ, omni honeſtati deditus, ſe probum præſtaret: Ita etiam ratum ac fixum habuiſti, nemini ſacrum hoc Ampliſſimorum Ordinum Palladium ingredi licere, niſi qui aut optimis virtutum inſtructus moribus, aut literarum ſcientiâ excultus, ſciat quid inter æquũ ac iniquum tenendum & amplectendum. Sciebas quippè rectè dictum ab Oratore optimo; quemadmodum tibicen ſine inſtrumentis ad modulationem diſpoſitis, nullam harmoniam, nullum concentum edere; ſic virum futurum in Eccleſia & Republica magnæ exiſtimationis, ſine præſidio literarum, & munimento honeſtatis nullo modo rectè publica negotia adminiſtrare & gubernare poſſe. Nec pluris etiam æſtimaſti literas, licet ſint magni precij; quàm honeſtam vitam; quæ ad ſtatum piè ſanctèquè colendum, ad decorum conſeruandum ſplendentis virtutis imagine conando prælucere, rectam monſtrat viam. Hanc igitur virtutem in illo illibato adoleſcentiæ flore ad quam Te natura fecit, voluntas exercuit, vſus & conſuetudo confirmauit; ad honorem DEI, & communem vtilitatem illuſtrandam & propagandam libentiſſimè contuliſti. Cæterum otium illud vitiorum ſeminarium, & pueriles nugas, altas radices in animo otioſo agentes, & latiùs ætate ingraueſcente ſeſe diffundentes, ita amouiſti; vt nulla apparerent veſtigia ſceleris, quæ futuræ vitæ occaſum deturpare poſſent. Nec expectaſti profectò feſſam ætatem quieti deditam, & impatientem laboris; ſed omnem cogitationem & induſtriâ ardentem & erectam,

ad ſpem

ad ſpem gloriæ pronis conatibus non intermiſſis literarũ ſtudijs enitentis, inclinaſti; vt comparares ea vitæ præſidia quæ ſubſequenti ſęculo eſſent profutura, memor dicti, Iuneni parandum, ſeni vtendum eſt. His ergò illuſtrioribus ornamentis inſtructus, tanquâ ardentiſſimô quodam deſideriô accenſus, non es veritus tradere & conſecrare ipſi DEO animum ad proſequendum honeſtum, vt præparares eximiæ virtuti aditum ad poſteritatis memoriam omni tempore victuram. Quapropter tàm promptam ad omnia præclara facinora virtutem, & illud ingenij ſplendidioris lumen cùm aſpexiſſet ſimul & approbaſſet Illuſtriſsimus & Reuerendiſsimus D. LAVRENTIVS GEMBICKI Archiepiſcopus Gneſn: in pernoſcendis virorum ingenijs ſpeculator diligentiſsimus, actutùm Te ad Curiam ſuam accerſiuit, totamq; Familiam regendam, cum parte curarum commiſit, & breui tempore in teſtimonium iuſtiſſimi præmij, in celſiſſimũ ampliſſimi Capituli Gneſnenſe & Louicienſe Collegium coöptauit. Nec diu expectauit Illuſtriſs: ac Reuerendiſs: D. HIERONYMVS CIELECKI Epiſcopus Płocenſis, vir inſigni eruditione, rarô totiquè poſteritati memorandô pietatis exemplô, incredibili amore erga Eccleſiam illuſtrandã, eamq; ornandam deſiderio, celebratiſsimus; Perilluſtris ac Reuerendiſſimi D. Fratris Tui SIGISMVNDI CIELECKI, Poſnanienſis Præpoſiti, Gneſnen: Płocen: Canonici, Viri omni genere virtutũ, & prudẽtiâ celeberrimi Patruus; Oeconomum Te Epiſcopæ ſuæ tanquam eô munere digniſſimum fe-

mum fecit, & Canonicatu Płocen: ac Pułtouien: Decatu, condecorauit. In quo munere suscepto inuasitné diuinam mentem Tuam aliqua impetuosa omnibusq; bonis exosa altioris spiritus arrogantia? inuasit benignitas cum humanitate, humanitas cum candore; candor ipsam in DEVM pietatem, multis iam ante argumentis confirmatam, cum admirando omnium virtutum concentu, speculandam reliquit. Sortitus enim eras naturam plenam bonitatis in quâ & nunc luculentissimè versaris, ad deuinciendos non repellendos animos: nam in aulis Principum ita vixisti, vt floreres; ita floruisti: vt laudem immortalem, amplissimæ Domui augeres; ita studijs sapientiæ operam nauasti, vt illam obtineres; ita vitam honestis factis expoliuisti, vt manifestum quilibet haberet exemplum pietatis. Quis illud acre iudicium, rarissimam modestiam, morum comitatem, humanitatis suauitatem, quæ ita in animos hominum influxit, vt suauis videri maluit, quàm grauis, non amplecteretur? Quis illam loquendi iucundissimam consuetudinem non admiraretur? Huius suauitate maximè exhilaratum illud iustissimum æquitatis Tribunal Petricouiense & Lublinense; cuius percoctum iudicium, suadamque dicendi, & diuitis ingenij censum spectando nobilissima iuuentus, missa à parentibus ad excipienda prudentissima dicta, verborum floribus ac luminibus sententiarum conspersa, non conticescet. Fatebor ingenuè, nunquam priscis temporibus tantùm laudis in loquendo Vlyssi tribuisset

 Home-

Homerus; quantùm Tu rapis in admirationem animos etiam cùm ſtupenda illa memoria quâ videris ſuperaſſe illos viros clariſſimos Cyros, Mithridates, Themiſtocles, Iulios Cæſares, cæteroſq; memoriæ laude apud antiquitatem memorandam celebratiſſimos. Nec hic eſt finis meritorum Tuorum, quæ ſe vno obtutu obijciunt conſpicienda, veluti lapis in proximum fluuium iniectus centrum ſuum aſſecutus, quaſi circino intercluſus in ſuperficie nouum ſemper circulum videndum proponit. Simulatque & ſapientiſſimus & ſanctiſſimus IOANNES WĘŻYK (qui non ita pridem ſpolijs pietatis onuſtus, in illud cœleſte Capitolium vbi beati ſempiterno æuo perfruuntur, abiuit) magnus clariſſimorum virorum promotor intellexerat, Te diuinis ingenij bonis inſtructum atq; ornatum; magno honore Scholaſticatus Gneſnenſis cohoneſtauit. Nec Illuſtriſſimus ac Reuerendiſſimus Dnus. ANDREAS SZOLDRSKI Epiſcopus Poſnanienſis, Vir ſummâ grauitate, naturæ facilitate, vitę integritate, morum comitate paucis comparandus (quem DEVS quàm citiſſimè ab exteris nationibus ſaluum ac incolumem reducat) in Tua promouenda virtute deſtitit. Decanatum Tibi in ſua Eccleſia Cathedrali Poſnanienſi, contulit. Et Sereniſſimus ac inuictiſſimus D. Clementiſſimus VLADISLAVS Rex, (quem DEVS incolumem diuturnis protegat annis) Tua iſta inſignia animi ornamenta, ſine vberiori in Eccleſia DEI, in offerentibus ſeſe occaſionibus alimento, non patitur dimittere. Opportunam occaſionem ornandi

nandi Te beneficijs Eminentissimus ac Reuerendissimus D. IOANNES LYPSKI, Archiepiscopus Gnesnensis nactus est; cùm Te ex Scholasticatu in locum excelsiorem Archidiaconatus Gnesnensis transtulit: fecit Te oculum suum, cor, manum; communemq; Ecclesiarum curam tradidit, vt in Tuis humeris veluti Atlantis, vniuersi Cleri moles recumbat. Summum istud dignitatis fastigium, singulari DEI beneficio ab Illustrissimo sacrorum Principe non sine summo onere est impositum. Profectò summum; Ecclesias in manibus Hęreticorum per tot annos detentas vindicare, supinâ Patronorum incuriâ collapsas restaurare, interno cultu destitutas ad decentem splendorem promouere, iniuriarum, ęquitatis cognitiorem esse; ad vitam mores, puritatem, accuratissimè animaduertere, quemlibet refractarium prudentissimô consiliô, saluberrimô suasu in officio retinere, & ad meliorem vitæ frugem & honestatem deducere. Non est vobis animo concidendum Admodum Reuerendi Domini totius Archidiœcesis Gnesnensis à DEO facti Sacerdotes, imò in spem optimam veniendum: repetite Tribunalitij temporis memoriam: ponite ante oculos dies quibus in causis grauissimis toties vobis præstò adfuit; explorato cognouistis illius erga vos propensissimum studium & beneuolentiam. Non solùm enim consilio prudenti defensor fuit, positã habens in oculis fidẽ & æquitatẽ, sed etiam legum grauitate conseruator extitit. In vestris Priuilegijs defendendis, retinendis, ratificandis, nullum studij aut of-

aut officij genus prætermiſit, ad quod omnes ingenij ner-
uos non videretur cōferre, vt veſtræ opitularetur, ſi quam
pateremini iniuriæ. Commemoranda hic eſset feruen-
tiſſima in DEVM Religio, & ſingularis in ſanctos DEI pro-
penſio ac veneratio: templum illud quod ad placandam
Diuini Numinis iram in natali ſolo magnificô ſumptu,
& ſplendidô apparatu à ſe exſtructum, & exornatum; o-
mnibus ſeculis prædicandum nunquam ſera obductura
eſt vetuſtas. Celebranda in rebus agendis dexteritas &
prudentia, quæ illud lemma non tàm verbis, quàm literis
dignum promeruit: cùm Te Confratrem habeant ani-
mo, iudicio colant bonum, velut gemmam inter pretio-
ſos lapides, virum.

Mores veteresq; nouosq; tenentem.
Multorum veterum leges Diuumq; hominumq;.

Prudentem; Gneſna Archidiaconum ſuum, Poſnania
Decanum ſuum, Płocia Louicia Canonicum ſuū, agno-
ſcit. Non ignota ſed perſpecta Vobis Perilluſtres ac Re-
uerendiſſimi Domini magnitudo animi, in ſuſcipiendo
quocunq; negotio dexteritas, & prudentia, in perficiendo
conſtantia & fides, in dicenda ſententia in Senatu Veſtro
pleniſſimo conſilij, in hoc Seminario Epiſcoporum & Se-
natorum ampliſſimo theatro, grauitas: æquum ratus vt
ibi ſentire, quæ liberè explicaret, vbi etiam quæ ſentiret,
dicere liceret. Rectè ſentire prudentiam redolet: li-
berè explicare fortitudinem: & ſentire benè & fortiter
facere: perfectæ cumulatæque ſapientiæ virum denotat.

In flo-

In florentiſsimo illo Areopago iuſtitiæ, vbi maximè declaratur vniuſcuiusque ingenij promptitudo & facultas, cui ipſe quaternis vicibus beneuolentiſſimis veſtris ſuffragijs non parcens labori & ſumptui, cum ſumma dignitate & honore, electus præſidebat; quid non niſi prudenter conſiliô, grauiter authoritate, religiosè exemplô, fortèr magnanimitate geſſit, & hucusq; gerit? Creſcit Tribunalitia dignitas, inſigne decus, nobilitati certiſſimum in ſuis cauſis perfugium, cui ille præſidet, pietate duce, prudentia comite, quàm ſtudijs literarum acquiſiuit, vſu & experientiâ rerũ confirmauit, authoritate iuſtitiæ perfecit: nam quò cuiuis intellectus acumine ingenij perfectior, eò rebus agendis eſt aptior. Et proinde iſtâ laborioſam ſpartam ſoletis ijs committere, qui emenſis prudentiæ, eloquentiæ, authoritatis gradibus, tantùm habeat de imperio, quantùm quisq; valeat ingenio. Imperium viribus ſubſequentibus confirmamus, peritiam experientiâ rerum, iuſtitiam cognitione iuris, temperantiam morum præceptis acquirimus, ipſam deniq; illam quæ videtur reliquarum eſſe moderatrix prudentiam, perſpectis hominum ingenijs, & exploratis rerum experimur euentis. Et ſanè non ſequitur illam confictam à veteribus iuſtitiæ imaginem, cuius caput in cœlum non ſine ſuperſtitionis nota, ad melioris iudicis informationem, ſeruandum putarunt: vt à Dijs ſuis ſanam in ſententijs proferendis percipiant doctrinam. In cœlo mens eius non caput verſatur: nam in conſilijs dandis, in ſententijs promulgandis,

ipſius

ipſius veri Dei præſentiſſimam in corde iuſtitiæ imaginem, inſculptam gerit: & ex ſolius Spiritus ſancti inſpiratione, qui eſt rector prudentiæ, prudentiſſima profert decretorum oracula. Nullus reperietur calamitoſus, quem non ille conſtabiliuerit, nullus debilis, quem non fulſerit, nullus lapſus, quem non erexerit, nullus oppreſſus cui non ſubuenerit, & lamenta attenta aure non exceperit; afflictis ſolatium, & deſperantibus ſalutem dedit. Quid non fecit aut quam non in partem commodumq; ſe conuertit? Quibus modis & medijs infregit ambitioſorum hominum factionē, atq; eius adminiſtrā & contubernalem euertit pertinatiam? quem nullus fauor, nullus liuor labefactauit, nulla potentiæ poteſtas, nulla aſſequendi honoris aura, ab inſtituto curſu, aut ſpe aut pollicitationibus dimouit. Apparuit in oculis iuſtitia, in fronte magnanimitas, in vultu æquitas in omnibus præclaris actionibus illa omnis gubernationis præclaræ fideliſſima legum ſeueritas. Hæc ſunt attentæ & nunquam ceſſantis gloriæ præmia, quæ imitabitur poſteritas: hęc quæ fama celebrabit, monimentis annalium mandabit. Poſſideant ſuas diuitias cæteri, oblectentur voluptatibus non inuidendis, quæ caducæ, fluxæ, nec æternæ ſunt: virtus intaminatis fulgebit honoribus, nec ceſſabit quando iſtæ deſinent: florebit quàm diu literæ florebunt non titulo tantùm, ſed manifeſta doctrinæ ac virtutis commendatione: quam vtramq; memoria poſteritatis amabit & ſectabitur. Habebit ad imitandum Nepos & cliens Tuus

obſequen-

obſequentiſſimus meæ diſciplinæ concreditus, non preſſa leuiter ad præſentis temporis prædicationem; ſed ad poſteram memoriam atquè incitationem, cumulatiſſimè, pientiſſimi Patrui fixa omnium virtutum veſtigia. Cui etiam iure meritò lætandum venit mecũ pariter, quòd Te inter effuſa multorũ vota, cõmuni Charitum voce conſalutet. Sed lætitiæ noſtræ magnitudo ita animos noſtros obruit, vt dum penè elingues efficimur, ſupremũ illum dignitatis humanæ authorem & fontem ſermone modico, ac reuerenter exoramus, vt Te ampliſſima ſubſequentium annorum ſucceſſione, ſimulquè feliciſſima honorum acceſſio ne cumulet: vt & boni amici diutioris vultus Tui amænitate recreati, non modò ſanguinis, ſed etiã virtutis hæredes efficiantur, & Alma Metropolis in hoc ſtatu tales Viros ad ornamentum Eccleſiæ & Reipublicæ: procreare poſſit. Quod etiam ampliſſimum hoc Tuorum Confratrum Collegium: quod vniuerſa Eccleſia, quod deniq; omnes boni vouent & precantur.

DIXI.



ODE

ODE

Dicolos Diſtrophos.

AD

Perilluſtrem ac Reuerendiſſimum Dominum,

D. ALEXANDRVM GŁEMBOCKI,
ARCHIDIACONVM GNESNEN:
DECANVM POSNANIENSEM,
Płocenſem Louicenſem CANONICVM,
S. R. M. Secretarium.

DD. Patronum Benefactorem Optimum.

ALEXANDER GŁEMBOCKI, Academicæ Coloniæ ad Ædes Almæ Eccleſiæ Metropolitanæ Gneſnenſis Studioſus, Nepos & Cliens obſequentiſsimus.

NON Te condignis poſſum celebrare Camænis
Spes mea, deliciumq́ ſuaue,
Inclyta quem virtus, tanta ad faſtigia duxit,
Magnâ conſilij grauitate.
Exurgit placidoquè decens Reuerentia vultu,
Quâ Maieſtas culta quieſcit.
Imbuit eloquio fæcundo ſuada diſerta
Linguam, conceſſitq́ ſtupendum

Inge-

Ingenium, promptâ pollet quod dexteritate,
Sarmaticæ genti celebrandum.
Palladium legis certæ Piotrkouia testis
Strenuus arbiter extitit æqui,
Quod summum semper cognoscit Mysta verendus,
Mirantur proceres rata dicta,
Nam quidquid monimenta requirunt
Assignat, Fanis nullo fauore relicto
Quod dictauit spiritus almus
Et quod sub legum penetralia pondere fundant,
Hoc pietatis opus reputauit.
Est fuci sine cerussâ celeberrimus osor,
Iustitiæ rectæ quoquè cultor
Clari candoris sine technis norma probata,
Et gnomon probitatis auitæ
Eximias laudes populus super æthera tollit,
Addendo solennia vota
Vt numeret faustos annos per sæcula vitæ,
Et meritis exornet honores.
Emineat tanquam Platanus pulcherrima virtus,
Quæ summis est dotibus aucta.
Vtq; viret semper laurus, nec fronde caduca
Carpitur: & Tua fama perennet
Sicq; Tuum nomen longis lucescat in oris
Cum expectata laude nepotis.
Suscipies, Tibi quos tulit, officiosa voluntas,
Carminis exiguiquè, labores.

ODE

Tricolos Tetrastrophos.

Perillustri ac Reuerendissimo Domino,

D. ALEXANDRO GLĘMBOCKI,
ARCHIDIACONO GNESNENSI,
DECANO POSNANIENSI, PŁOCENSI
Łouiciensi CANONICO, S. R. M. Secretario.

NON vile nomen, nec modicum decus
GŁĘMBOCIORVM Metropolis tenet
Ornata, celso Præsidentis
Nomine, magnanimi triumphans

Quòd Præsul & non ambitio tulit
Assueta vitæ, mortis imaginem
Spectare, currit Dædalæo
Lætior irrita, sed volatu.

Tunc fama falsis ominibus volans
Vires resumit, corpore viuidas
Rumore iam secura grato,
Lætificos ciet ore plausus.


Virtus coruscat consilio graui
Ad vsquè sanctos progreditur polos
Vt flamma per spicas, vel aura
Per rigidas titubat procellas.

Iustè

Iustè beatum Gnesna vocaueris
Cuius perennet nomen, & vltimos
Peruadat ad fines, honores
Accipiens memoresq́ Fasces,
Quos ad regendum sat meritis bonis
Nunquam peroptat sponte capessere
Vltrò sequuntur, cum fugaces
Nouit amare viros honoros.
Nam comitas, & suauiloquentia
Exculta doctis sub penetralibus.
Agnosce, quid prosit, Dynastûm
Dexteritas celebris bonorum.
Nullus querelas adferet inuidas
Decreta non sunt deuia legibus
Laudator æqui ponderantis,
Quodq́ nefas Nemesi ferebat.
Quid Musa poscis lemmata pangere?
Fundens liquorem de cerebro rudi,
Pridem quieti consecrata
Non tribues titulos decoros.
Persiste; viuat nunc Pylios dies
Ecclesiæ magnum decus, & iubar
Prosapiæ GŁĘMBOCIORVM.
Tristia sæcula ne fatigent.




BIBLIOTH. UNIV.
JAGELLONICAE


Biblioteka Jagiellońska
stdr0018909